

apertè sequitur, quòd pater retinet prædictum usumfructum post mortem filii, text. in *Authent. de hered. ab intest. venient.* §. 1. incipienti: *Si quis igitur, collat. 9.* & in expressò istam sententiam & conclusionem tenent DD. in *prædictis locis*: tenet etiam Gloss. ordinaria in *leg. 3. Cod. de Usufruct.* & ibi communiter DD. Gloss. in *leg. 2. Cod. de bonis maternis, in verb. Defuncto,* Gloss. in *leg. fin. Cod. de Sentent. pass. in verb. Patre.* Angel. de Aret. in §. *Præferuntur, Instituit. ad Tertull. 1. column.* versic. *Ad intellectum hujus, §. &c.* Nec obstat prædictis juribus & communi opinioni si dicatur, quòd patria potestas est principalis & immediata causa acquisitionis usumfructus, ut supra dictum est: sed illa cessat & extinguitur per mortem filii; ergo per consequens tollitur & extinguitur usumfructus quæsitus patri: Quia notabiliter & subtiliter respondeo, quòd patria potestas benè requiritur à principio tempore acquisitionis, non tamen requiritur ex post facto tempore durationis: & sic patria potestas consummavit effectum suum tempore acquisitionis usumfructus; unde licet postea cesset & finiatur, non tamen cessat nec finitur usumfructus retro semel quæsitus: & in expressò istam rationem ponit Bald. in *dict. leg. 3. Cod. de Usufruct.* pro qua sententia & ratione, licet ipsi non allegent, facit bonus text. in *leg. Si is qui animo. ff. de Acquitend. posses.* ubi habetur, quòd licet in quærenda possessione requiratur animus; tamen postquam semel est quæsitus, non requiritur in eo conservanda & retinenda: text. in *leg. Patre furioso, versic. Nam furiosus. ff. de His qui sunt sui vel alien. jur.* ubi habetur, quòd licet furiosus non possit contrahere matrimonium propter defectum consensus; tamen post matrimonium jam contractum si superveniat furor, retinetur & conservatur matrimonium: text. in *leg. Judex datus, & in leg. Cum prator. ff. de Jud.* ubi habetur, quòd licet furiosus non possit de novo creari judex; tamen benè potest conservare & retinere jurisdictionem semel quæsitam: text. in *leg. Item illa. §. Quod adjicitur. ff. de Constit. pec. text. in leg. Sicut, §. fin. in fin. juncta gloss. & communi opinione. ff. Quod cuiusque univer. nomin.*

6 Prædicta tamen limita & intellige, quando

(r) Sic etiam hanc legem intelligit Bæz: de decima tutorum, cap. 4. num. 19. Azeved. in *leg. 9. titul. 1. lib. 5. Recopilat. num. fin.* Quod usque adeò procedit, ut in conscientia foro teneatur pater usumfructum totum restituere filio velato; quia cum lex hæc justa sit honesta & sancta, & in favorem quodammodo matrimonii, ut ejus onera sustentari valeant, merito in foro conscientia obligat; cum similis legis, proprietatis hæc sit, ut testatur: Soto *lib. 1. de Justitia & jure, quæst. 6. art. 4.* & in specie id tenet etiam Gregor. in *leg. 5. tit. 5. partit. 6. gloss. magn. colum. 2.* Azeved. in *leg. 9. titul. 1. lib. 5. Recopilat. num. 20.*

pater habet filium in sua potestate: secus verò si eum emancipavit; quia tunc pater retinet dimidiam partem usumfructus, & alia dimidia applicatur filio: text. est capitalis & expressus in *leg. Cum oportet. §. Cum autem, Cod. de Bonis quæ liberis,* & ibi notat & commendat Odofred. Cin. Jacob. Butr. Bartol. Albert. Bald. Angel. Salycet. Paul. & communiter DD. text. in *leg. fin. Cod. de Emancip. liber.* text. in §. *Hoc quoque, versic. Idedque, Instit. per quas personas vobis acquiruntur,* & idem disponit *lex 15. titul. 18. part. 4.* Considera tamen, quòd prædictam medietatem usumfructus videtur pater retinere propter præmium emancipationis, quam donat & confert filio, & in ejus recompensam: quod apertè probat text. in *dict. §. Cum autem,* in quantum dicit: *quasi remunerationis gratia, à filio accipere vel retinere,* & rursus infra dum dicit: *sed dimidiam usumfructus apud majores qui emancipationem donant residere,* text. in *leg. Jubemus, Cod. de Emancipat. liber.* ibi: *Et persona in quas talis liberalitas collata sit.*

Ex quibus juribus cum ratione inferitur, ut procedat & habeat locum in bonis quæ de præsententi habet & possidet filius: secus verò in bonis futuris post emancipationem filio quæsitis; quia in eis nullam partem usumfructus habet pater: & in expressò ita tenet & declarat Alexand. in *leg. Si finita. §. Si de vestigialibus. ff. de Damno infecto, 201. colum. num. 51.* Item etiam & secundo inferitur, quòd si ex dispositione legis filius esset emancipatus, pater nullam partem usumfructus retineret. Ex quo subdeducitur & inferitur, quòd cum hodiè in nostro regno per contractum matrimonii filius sit per legem emancipatus, ut in *leg. supra proxim.* pater nullam partem usumfructus retinebit, sed totus pertinebit filio: & in terminis ita disponit ista nostra lex 48. & iste videtur ejus verus sensus & ratio. (r) Quam legem intellige & extende, etiam si filius vel filia contraxerit matrimonium sine licentia & voluntate patris, quia indistinctè militat & habet locum ratio hujus leg. in sustinendis oneribus matrimonii. Unum tamen est, quòd si hodiè pater emanciparet filium suo proprio facto & voluntate, retinebit sibi dimidiam partem usumfructus, sicut de jure communi: Sed da-

bium notabile esset, si pater emanciparet filium, & postea contraheret matrimonium, an pater amittat illam partem usumfructus sibi jam quæsitam? Et credo quòd sic, argumento hujus legis quia si eo casu, quo filius est in potestate, & contrahit matrimonium, consequitur totum usumfructum, & pater nullam partem sibi retinet; ita eodem modo, quando erat emancipatus, & acquisiverat dimidiam partem usumfructus, illam debet perdere & amittere, & filio applicare, cum militet & habeat locum eadem ratio, pro sustinendis oneribus matrimonii. (u)

Item etiam tertio infero, quòd si filius exeat de potestate patris per dignitatem episcopalem, vel patriciam, vel consularem, vel ex alia ex causis quas diximus in lege præcedenti, non amittit pater usumfructum quem habebat in bonis filii, nec partem ejus, per prædicta: imò si ante talem dignitatem filius habuit aliqua bona adventitia, in quibus pater habuit usumfructum, talis usumfructus durabit patri, etiam post talem dignitatem adeptam, per quam filius fuit liberatus à patria potestate.

7 Advertendum tamen, quòd videtur, quòd si filius habet bona adventitia, & est factus Clericus, indistinctè efficitur dominus eorum, & pater amittit usumfructum eorum. Item etiam, si postquam est factus Clericus acquisivit aliqua bona, modò intuitu Ecclesie; modò non, pleno jure acquiruntur sibi, & pater nullum habet in eis usumfructum: ita probat text. singularis in *cap. Quia nos, de Testam.* ubi dicitur, quòd filius liberè potest disponere de bonis, quæ sibi obvenierunt ex successione patris vel matris, vel consanguineorum, vel ex contractu, vel artificio suo: cujus verba sunt: *Quia nos, & infra: quòd licet Clericus de his quæ paterna successione vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam pervenerunt ad ipsos, liberè disponere valeant: de his tamen, qua consideratione Ecclesia, nullum de jure possunt facere testamentum,* & ibi ad hoc expressè notat & commendat Hostiens. Joan. Andr. Card. Ant. Abb. Panorm. Anchar. Imol. Barbar. & commu-

niter DD. Hostiens. in *Summa, de Peculio Clericor.* versic. *Quot sunt ejus species, &c.* Cardin. & Imol. in *Rubr. ejusdem titul. in fin.* Abbas Panor. in *cap. Præsentia, de Probat. 21. column. numer. 56.* & ibi alii DD. & istud idem vult Glosa ordinaria in *cap. Quia ingredientibus 19. quæst. fin. in gloss. 2.* Paul. de Castr. ubi hoc reputat notabile, & perpetuò menti tenendum, in *leg. Sacrosancta, Cod. de Episc. & Cler.* tenet etiam Jas. ubi hoc reputat singulare in *leg. Filia licet, 2. colum. num. 5. Cod. de Collat. Rod. Suar. in Repetitione leg. Quoniam in prioribus, penult. fol. column. 4. versic. Considera tamen utiliter & singulariter,* ubi hoc tenet, saltem in bonis quæ obveniunt filio post Clericatum. Idem apertè videtur disponere *lex 3. in fin. titul. 21. part. 1.* ubi dicit, quòd filius Clericus potest testari & disponere de bonis habitis à patre, vel aliunde, licet sit in potestate patris. Imò idem erit secundum prædictos DD. ubi supra, etiam in filio Clerico primæ tonsuræ, argumento text. juncta Gloss. & communi opinione, in *cap. Cum contingat, de atate & qualitate, & in cap. Clericus, 22. distinct.* & ibi Gloss. in *summa,* & communiter DD. Sed his non obstantibus, certè ego teneo contrariam sententiam: Imò, quòd talis filius Clericus, etiam in sacris, non possit disponere de bonis suis adventitiis vivente patre; quia in eis pater habet usumfructum quia cum non liberatur ab ejus potestate, sequitur quòd non amittit pater usumfructum in bonis ejus: Et similiter, si bona adventitia obveniunt ipsi filio Clerico post Clericatum, pater habet in eis usumfructum, & filius in eis non potest disponere vivente patre, sicut nec alius filius posset: & in expressò ita tenet Bartol. Petrus, Jacob. Butr. Odofred. Alber. Salyc. & communiter DD. in *leg. Sacrosancta, Cod. de Episc. & Cler.* ubi dicunt per illam legem, quòd filius Clericus potest disponere de bonis acquisitis intuitu suæ præbendæ & beneficii, & sic de fructibus ejus: ergo non de aliis adventitiis. Idem tenet expressè Salycet. in *Authent. presbyterus, eodem tit. Bartol. in leg. Litis. §. Potest. ff. de Nogor. gest. Bald. in leg. 3. §. Si quis minor. ff. de Minor. (x)* Nec

(u) Quod etiam dubium tractat Matienz. in *dict. leg. 9. titul. 1. lib. 5. gloss. 2. num. 3.* & idem mecum resolvit Azeved. *ibid. num. 1.*

(x) Idem tenet Gregor. in *leg. 13. titul. 1. part. 7. verb. Que est en poder. Pinell. in leg. 1. Cod. de Bonis maternis, 1. part. num. 44. Perez in leg. 1. titul. 2. lib. 5. Ordinam. gloss. 1. colum. 1. versic. Intellige tamen, fol. 62. Tell. in leg. 5. num. 3. & 4. supra cum aliis quos refert & sequitur Velazq. de Avend. in *dict. leg. 5. gloss. fin. per totam. Matienz. in leg. 4. titul. 4. lib. 5. Recop. gloss. 3. num. 3. & gloss. 4. per totam,* licet contrariam tenuerim in *dict. leg. 6. Taur. num. 14. quam defendit Azev. in dict. leg. 4. tit. 4. lib. 5. Recopilat. n. etiam 14. hanc etiam tenet Covarrub. in cap. Quia nos, num. 2. de Testam. Perez in leg. 1. titul. 3. lib. 1. Ordinam. column. 112. versic. Quod**

Nec obstat textus capitalis, in quo se fundabant prædicti DD. in dict. cap. *Quia nos.* Quia debet intelligi mortuo patre, & ibi probat text. dum dicit, quod Clericus possit disponere de bonis habitis ex successione paterna, vel materna, &c. ubi aperte dat intelligere, patrem esse mortuum, & si dicas cum vivere, debet intelligi in aliis bonis, in quibus pater non habet usumfructum, vel in bonis habitis intuitu Clericatus; non verò aliás: & ita debet intelligi prædicta lex partit.

Quartò infero, quod si filius ingrediatur religionem; quo casu liberatur à potestate patris, cum incidat in potestatem Abbatis, ut tenet Gloss. notabilis & ordinaria in leg. *Si ex causa.* §. *Papinianus in gloss. fin. in fin.* ibi: *Vel ingresso monasterium.* ff. de Minor. & ibi notat & commendat Bartol. Alber. Bald. & communiter DD. Alber. in *Authent. ingressi.* Cod. de Sacros. Eccles. 6. column. num. 12. & ibi, quod pater non amittit usumfructum, quem habet in bonis filii, sed retinebit per tempus vitæ ipsius patris: & in expresso ita tenet Specul. in titul. de Statu Monachor. 2. column. 5. quæst. Palac. Rub. ibi valde commendat in sua Repet. fol. 24. column. 2. versic. *Ex istis inferitur,* §. 42. (y)

8 Juxta prædicta tamen quæro, si ipse pater qui habet usumfructum in bonis filii, vel quilibet alius fructuarius, qui habet usumfructum in bonis alterius, ingrediatur religionem, an amittat usumfructum, & consolidetur cum proprietate? Et videtur quod sic: quia si est pater amittit patriam potestatem, & subjicitur potestati Abbatis & superioris, & sic videtur amittere usumfructum, argumento text. in leg. *Sic eveniet,* in fine, ff. de Adult. ubi habetur, quod non potest quis alique habere in sua potestate, quando ille est in potestate alterius: si verò est alius fructuarius, efficitur capite diminutus; unde usumfructum amittitur, ut in leg. *Corruptionem,* Cod. de Usufruct. Item etiam non potest usumfructum alienare, aliás perdit usumfructum, & consolidatur cum proprietate: ergo in nostro casu amittatur & consolidetur. Sed his non obstantibus, contrarium est tenendum, imò, quod talis ususfructus non amittatur, sed transeat in monasterium, saltem commoditas ejus. Nec obstat quod pater amittat patriam potestatem: Quia per hoc non tollitur ususfruc-

tus sibi jam quæsitus; imò in consequentiam personæ transit in monasterium, argumento text. in *Authent. ingressi,* Cod. de Sacros. Eccles. & in leg. *Si adoptavero.* ff. de Precario. Nec obstat etiam quod ipse vel alter fructuarius efficiatur capite diminutus: Quia ista non est propriè capitis diminutio mortis civilis vel naturalis propter delictum, sed quoad mundum tantum, maximè quod hodiè non patitur quis capitis diminutionem nisi per mortem naturalem, non verò per civilem, ut in *Authent. Sed hodiè,* Cod. de Donat. inter vir. & uxor. Non obstat etiam quod fructuarius non possit usumfructum alienare: Quia illud est verum & procedit si alienat ipsum jus ususfructus; secus verò si ipsam commoditatem & perceptionem fructuum: unde in nostro casu illa tantum transit in monasterium, argumento text. in leg. *Arboribus,* versic. *Si fructuarius,* ff. de Usufruct. & in leg. *Necessario,* §. fin. ff. de Peric. & commod. rei vendita, cum similib. unde ipsum jus & substantia ususfructus residet apud monachum, commoditas verò transit ad monasterium; & finietur per mortem naturalem ipsius monachi, argumento text. in leg. *Peto.* §. *Prædium.* ff. de Legat. 2. text. in leg. *Cum pater.* §. *Hereditatem,* el. 1. eodem titul. text. in leg. *Ex facto.* §. *Ex facto.* ff. ad Trebel. text. in leg. *Staius Florus.* §. *Corn. Felic.* ff. de Jure fisc. text. in leg. *Si postulaverit.* §. *Juber.* ff. de Adulter. text. in leg. *Si fil. fac.* la. 2. ff. de Donat. causa mort. text. in leg. *fin.* Cod. de Usufruct. text. cum materia in leg. *Lex vectigali.* ff. de Pignorib. & in expresso isto fundamento & consideratione istam sententiam & conclusionem tenet Gloss. ordinaria, in *Authent. ingressi,* Cod. de Sacros. Eccles. in gloss. magna, in fin. & ibi Petr. de Bellaper. 8. column. versic. *Sed pone in difficiliori.* Odofred. 7. column. versic. *Sed de uno quæro quod si ingrediens,* &c. Cin. penult. column. n. 12. Bartol. 8. column. num. 42. Alb. 6. column. num. 10. Bald. 5. column. num. 12. Paul. fin. column. Salyc. final. column. Gloss. ordinaria in *Authent. Jas. fin. column. & quæst. idem est,* Cod. de Bonis qua liber in gloss. 1. quæst. 2. Specul. in titul. de Statu Monachorum, §. 1. versic. 46. queritur, Alberi. in leg. *Si postulaverit,* §. *Juber.* ff. de Adulter. Abb. Panorm. in cap. final. extrà, de pignor. 2. column. num. 2. ubi dicit hanc esse communem

Quod tamen privilegium, & vide etiam quæ dixi in leg. *præcedent. ad principium,* ibi: *Per contractum matrimonii.*

(y) De hac quæstione vide latè Suar. in quæst. *Majoratus,* num. 31. usque ad fin. Gregor. in leg. 5. gloss. magn. in princ. titul. 17. part. 4. Covarrub. in cap. *Quia nos,* 2. de Testament. num. 2. Palac. Rub. in Rubr. de Donat. inter virum, §. 42. n. 79. Matienz. in leg. 9. titul. 1. lib. 5. glos. 1. num. 12. cum aliis quos ipsi referunt.

nem opinionem. (z) Verum tamen est, quod ista sententia & conclusio clarè procedit in alio quolibet fructuario: secus verò est in patre qui habet usumfructum in bonis adventitiis filii ratione patriæ potestatis; quia si ingrediatur religionem, amittit usumfructum, vel saltem medietatem ejus, cum facto suo filius efficiatur sui juris: argumento text. in leg. *Cum oportet.* §. *Cum autem,* Codic. de Bonis qua liber. Confirmatur etiam, quia per ingressum religionis amittit legitimam administrationem. Et in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Bart. in dict. *Authent. idem est,* Cod. de Bonis qua liber. & ibi Cin. Alb. Angel. Salycet. post Martin. Silet. quem ipsi referunt: tenet etiam Salyc. Jas. & alii DD. in dict. *Authent. ingressi,* & ista est magis communis opinio secundum Salycet. in dict. *Authent. idem est,* tenet etiam Abb. Panorm. in cap. *In presentia de Probat.* 2. 1. column. num. 57. & ibi alii DD. Sed certè ego teneo contrarium: imò, quod indistinctè pater vel alius non amittat usumfructum per ingressum religionis, & commoditas quærat monasterio, ut supra dictum est: quia filius non eximitur à potestate patris facto ipsius patris, sed beneficio & dispositione legis; & talis ingressus est favorabilis & meritorius ipsi ingresso, unde in ejus odium & præjudicium non debet interpretari, argumento text. notabilis in leg. *Deo nobis,* §. *Si verò ultimum,* Cod. de Episc. & Cler. & in terminis ita tenet & declarat Bald. in *Authent. excipitur,* Cod. de Bonis qua liber. 2. column. num. 3. & ibi Paul. de Caltr. 2. column. quæst. penult. Corn. in *Authent. idem est ejusdem titul.* & Rapha. Cuman. quem ipse allegat.

9 Quæro tamen, si aliqua de prædictis causis non interveniat, sed pater sua voluntate remittat filio usumfructum quem habet in bonis ad-

ventitiis, an talis remissio valeat & teneat? Et breviter & resolutivè dico quod sic, & ratione ejus talis ususfructus pertinebit filio, (A) text. est singularis & unicus in leg. *Cum oportet.* §. *Sin autem,* Cod. de Bonis qua liberis, cujus verba sunt: *Sin autem res sibi memorato modo acquisitas parens noluerit tenere, sed apud filium aut filiam vel alias deinceps personas reliquerit, nullam post obitum ejus licentiam habeant heredes alii patris, aut, vel proavi, eundem usumfructum, vel quod ex hoc ad filios famil. pervenit, utpotè patri debitum sibi vindicare, sed quasi diuturna donatione in filium celebranda, qui usumfructum detinuit, quem patrem habere oportuerat, ita causa intelligatur ut eundem usumfructum post obitum patris ipsi lucretur.* Et in tantum hoc est verum, ut talis donatio & remissio statim valeat inter patrem & filium in potestate, nec requiratur morte patris confirmari: ita aperte probat text. ibi, & ad hoc notat & commendat ibi Bartol. Cin. Angel. Paul. & communiter DD. & reputat singularem & unicum Bald. in §. *Non autem,* ejusdem leg. 1. column. num. 3. illum etiam text. ad hoc notat & commendat Bartol. in leg. *Frater à fratre.* ff. de Cond. indeb. penult. column. in fine, & ibi communiter alii DD. Bald. in leg. 2. Cod. de Inoffic. donation. 3. opposit. & ibi communiter DD. & ista opinio & conclusio est vera & communis, licet Gloss. in dict. §. *Sin autem,* teneat contrarium, imò quod requiratur per mortem patris confirmari, sicut alia quævis donatio: & idem tenet Azor. in *Summa illius titul.* column. 1. num. 3. Gloss. ordinaria in dict. leg. 2. Cod. de Inoffic. don. Nec obstat si dicatur, quod donatio inter patrem & filium non valet, sed morte confirmatur, ut in leg. *Donationes quas parentum,* Cod. de Donat. inter vir. & uxor. cum simil. & dixi latè in leg. 17. supra istis ll. Taur. Quia

(z) Hanc eandem sententiam tenet Rosell. n. 18. in *Authent. ingressi,* Guido Pap. dec. 473. n. 4. & expressius dec. 595. ubi dicit ita judicatum Cæpol. cons. 22. num. 4. Socin. cons. 10. num. 20. lib. 1. ubi hanc communem sententiam dicit: *Crot. in leg. Gallus.* §. *Et quid si tantum,* num. 30. & novissimè latèque Pinell. 1. per. de Bonis maternis, à num. 49. usque ad 50. & 51. cum pluribus aliis quos refert. Quam etiam opinionem defendit Matienz. in leg. 9. titul. 1. lib. 5. Recopilat. gloss. 2. num. 2. licet contrariam opinionem, scilicet per ingressum religionis patrem usumfructum amittere, tenuerit Martin. Syllanian. quem Cin. refert in *Authent. ingressi,* Cod. de Sacros. Eccles. ubi etiam Salyc. eandem tenet num. 10. ad fin. & iterum in *Authent. idem est,* Cod. de Bonis qua liberis, ubi hanc communem opinionem dicit; quam etiam sequitur Jas. in dict. *Authent. ingressi,* num. 48. & Riminald. in §. 1. num. 148. in fit. per quas personas, Covarrub. in cap. 2. num. 8. de Testam. Hyppolit. singulari. 668. Gregor. in leg. 5. titul. 17. part. 1. gloss. magn. ad medium. Sed mea opinio verior est & receptior, in praxique servanda, prout servari consuevit, & contrariæ opinionis fundamentis satisfacit Pinell. ubi supra.

(A) Et ita resolvit Tellus Fernand. in leg. 17. Taur. num. 57. Et utrum donatio hæc sit, necne? tradit Matienz. ubi supra, & Tellus, Petr. Duñ. in regul. 217. limitat. 3. idem Tellus in leg. 17. num. 63. idem tenet Matienz. in leg. 1. titul. 6. gloss. 4. num. 18. & 19. lib. 5. Recop.